UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII. editas

Luxemburgi, 1740

CLXIII. Interdictio prædicationis Clericis Regularibus Congregationis Scholarum Piarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-74724

Visual Library

rum utriuſque Caſtellæ veteris ſcilicet, & novæ nuncupatarum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum nuncupatorum ex electione diſcretorum, qui a Conventibus ad effectum ſuffragia in Capitulis Provincialibus ferendi eligi conſueverant, in religioſæ pacis, & concordiæ, ac regularis diſciplinæ præjudicium paſſi fuerant, idem Innocentius Prædeceſſor per quaſdam ſuas deſuper in ſimili forma Brevis die 29. Martii 1693. expeditas Literas diſcretos prædictos in dictis Provinciis ſuſtulit, ac removit, & ſubinde inter alia remotionem, & abolitionem diſcretorum hujuſmodi expeditaſque deſuper literas prædictas ad Provincias Bethicæ, & Navarræ per alias ſuas itidem in ſimili forma Brevis Literas die 12. Septembris ejuſdem anni emanatas auctoritate Apoſtolica extendit, & ampliavit, & alias prout in dictis Innocentii Prædeceſſoris literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, uberius continetur.

Preces Miniſtri Generalis præfati pro reſtitutione eorundem Diſcretorum.

§. 1. Cum autem, ſicut dilectus filius Hartmannus Brixiven Miniſter Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, propter Diſcretorum hujuſmodi abolitionem, licet ad bonum finem petita fuerit, nihilominus maximum tamen detrimentum, ac præjudicium regulari obſervantiæ allatum fuerit, & adhuc de præſenti afferatur, ideoque idem Hartmannus Miniſter Generalis electionem eorumdem Diſcretorum omnibus Hiſpaniarum Provinciis reſtitui ſummopere deſideret, quemadmodum recol. mem. Clemente XI. Belgii, & Innocentio XIII. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus pariter noſtris Sardiniæ reſpective Provinciis Ordinis prædicti conceſſum fuiſſe memoratur. Nobis propterea dictus Hartmannus Miniſter Generalis tendentibus etiam in id Clariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi earumdem Hiſpaniarum Regis Catholici votis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Conceſſio facultatis prædictæ.

§. 2. Nos igitur ipſum Hartmannum Miniſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati prædicto Hartmanno Miniſtro Generali ſerio, prudenter, ac diligenter examinata, omnibus, & ſingulis Hiſpaniarum Provinciis de cætero electionem Diſcretorum hujuſmodi, ſi id divinæ gloriæ, publicæ tranquillitati, ac regularis obſervantiæ incremento in Domino expedire judicaverit, reſtituendi facultatem, dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur.

Derogatoriæ.

§. 3. Non obſtantibus prædictis Innocentii Prædeceſſoris literis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Provinciarum, & Ordinis prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXX. Septembris MDCCXXVII. Pontificatus noſtri Anno IV.

CLXIII.

Interdicitur Clericis Regularibus Congregationis Scholarum Piarum prædicatio, ut Scholarum exercitio incumbere valeat, ademta etiam Superioribus facultate ſuper hoc diſpenſandi.

De Privilegiis hujus Congregationis vid. Inn. XI. Conſt. ed. 1686. Sept. 3. P. 10. & Alex. VIII. Conſt. ed. 1691. Jan. 23. P. 2.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dat. 3. Oct. 1727. An. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Adolphus a S. Georgio Præpoſitus Generalis Congregationis Clericorum Regularium Scholarum Piarum nuncupat., quod hujus Congregationis Inſtitutor, prævidens quam grave damnum Scholarum Piarum hujuſmodi exercitio conciones, Adventus, & Quadrageſimæ tempore extra Eccleſias præfatæ Congregationis habendæ, allaturæ eſſent, in ſuis Conſtitutionibus, auctoritate Apoſtolica confirmatis, tertia parte, cap. 7. de Concionatoribus, expreſſe cavet in hæc verba: *Nemo publice prædicabit, niſi a Generali, vel Provinciali licentiam obtinuerit; tempore vero Adventus, & Quadrageſimæ extra noſtras Eccleſias nemo noſtrorum prædicabit, & extra id tempus, nonniſi ex urgentiſſima cauſa, & de Provincialis conſenſu.* Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, tametſi ſucceſſu temporis a variis Capitulis Generalibus declaratum fuerit, eſſe penes Præpoſitum Generalem concedere facultatem concionandi extra eaſdem Eccleſias tempore Adventus, & Quadrageſimæ, ut præfertur, ac ſubinde variæ cautelæ, ut inſurgenti olim præviſo malo occurreretur, adjectæ fuerint; nihilominus experientia magiſtra dictus Adolphus Præpoſitus Generalis edoctus, per conciones prædictas miniſterio hujuſmodi Scholarum triſtiſſimam everſionem imminere, eo quod Verbi Dei Prædicatores majori anni parte extra Domos memoratæ Congregationis commorantes Scholis adjici nequeant, imo ſæpe hoc prætextu etiam eas ſubterfugiant; Nobis propterea dictus Adolphus Præpoſitus Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

A Congregationis prædictæ Inſtitutore cautum fuit, ne quiſquam publice prædicari valeret, niſi de licentia Generalis, vel Provincialis.

Cauſæ præſentis Conſtitutionis, & preces Præpoſiti Generalis.

§. 2. Nos igitur ea, quæ per præinſertam Conſtitutionum particulam diſpoſita ſunt, impoſterum firmiter, ac inviolabiliter ſervari, & ne ullo modo convelli, vel labefactari poſſint, providere, ac ejuſdem Adolphi Præpoſiti Generalis Votis hac in re, quantum in Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præinſertam particulam ex Conſtitutionibus memoratæ Congregationis Scholarum Piarum exceptam (ut præfertur) auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnia, & ſingula per eam diſpoſita inconcuſſe obſervari mandamus, & præcipimus, & eidem Adolpho, & pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali facultatem ſuper præmiſſis diſpenſandi, auctoritate, & tenore prædictis adimimus.

Confirmatur relatum ſtatutum Inſtitutoris Congregationis, & ſuper eo diſpenſandi facultas Generali adimitur.

Clauſulæ.

§. 3. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper

per firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides habenda tranſumtis.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III. Octobris MDCCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno IV.

CLXIV.

Confirmatur Alternativa Officiorum Provinciæ Bethicæ Eremitarum S. Auguſtini Diſcalceatorum inter Fratres dictæ Provinciæ, & eos della Manca.

De alternativa Officiorum in Regnis Luſitaniæ, & Algarbiæ ſervanda vide Clem. XI. Conſt. ed. 1716. Oct. 26. Et alia hujus Conſt. ed. 1727. Sept. 29. P. 4. determinatum fuit tempus vacationis ab officiis pro illis qui in dicto ordine per duo triennia aliquod obtinuerunt.

Dat. 3. Oct. 1727. Ann. 4.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

In Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ Alternativa præfata inſtituta fuit.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Fratres Provinciæ Bethicæ, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Diſcalceatorum nuncupat., quod in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ die 10. Menſis Maji proxime præteriti in Collegio Sanctiſſimi Sacramenti Villæ de Almagro Præſidente Dilecto Filio Joanne a Sancta Tereſia Lectore Jubilato Tribunalis Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem in Regnis Hiſpaniarum auctoritate Apoſtolica inſtitutis, & Vicario Generali Congregationis Hiſpaniarum, & Indiarum d. Ordinis celebrato aſſiſtentibus omnibus Vocalibus, quibus Capitulum prædictum conſtabat, ipſi Vocales ſic legitime congregati prævia matura deliberatione conſervationi, ac paci, quieti, & tranquillitati Provinciæ prædictæ conſulere cupientes, Alternativam Officiorum inter eoſdem Exponentes, & Fratres della Manca, ſeu Mancia nuncupat. inſtituendam decreverunt, eamque dicto Capitulo ſtabiliverunt in hunc modum, tenoris, qui ſequitur videlicet.

Modus Alternativæ prædictæ.

§. 2. *Fra Giovan di Gieſu Lettore Giubilato, e Secretario della Provincia d'Andaluzia dell' Ordine Diſcalceato di S. Agoſtino fo fode, e certifico qualmente tra gli Decreti, & ſtabilimenti, che furon fatti nel Capitolo Provinciale proſſimo paſſato, che fù celebrato nel Collegio del Santiſſimo Sagramento della Villa d'Almagro di detta Provincia, che cominciò alli 10. di Maggio del corrente anno 1726., nel quale fù preſente il Molto Reverendo Fra. Gio. di S. Tereſa Lettore Giubilato qualificatore della ſuprema, e Vicario Generale della Congregazione di Spagna, e Indie dell' Ordine Scalzo di S. Agoſtino, quale confermò tutto quello ſi ſtabilì in detto Capitolo vi è un Decreto, e Statuto, che è ad imina ſettima fol. 89. del libro di detta Provincia, nel quale ſi ſcrivono gli Capitoli, che in eſſa ſi celebrano, & è del tenore ſeguente -- Item per quanto queſta noſtra Provincia d'Andaluzia comprende nelli ſuoi termini tanto la detta parte d'Andaluzia, come anche la parte, e Territorio della Manchia, ò Mancia, e tra gli Religioſi dell' uno, e l'altro paeſe per eſſere differenti nel genio, di che ſono nate varie emulazioni, e contraſti, lamentandoſi alcuni circa la diviſione ineguale delli poſti, & Officj de' Padri, che governavano detta Provincia ſenza poterli riparare, il zelantiſſimo, e religioſo fervore delli prelati Superiori: per tanto ſtabilì, e determinò queſto preſente Capitolo aſſiſtendo ad eſſo tutti gli Vocali, nemine dempto, che ſi ſupplichi, e preghi al S. Pontefice, ſi degni concedere Bolla d' Alternativa, in queſta forma, che ſi giudica aſſai conveniente, cioè, che nel Capitolo Provinciale proſſimo venturo ſi ſceglia, e nomini Priore Provinciale di queſta detta Provincia un Religioſo, che ſia dell'altra parte, di dove ſia il Prior Provinciale eletto nel preſente Capitolo, di modo, che ſe nel preſente Capitolo ſarà eletto in Provinciale un Religioſo d'Andaluzia, in queſt' altro proſſimo Capitolo ſia della Manchia, ò Mancia, quello che ſi dovrà eleggere in Provinciale, e così vadino alternative in queſto Officio gli Religioſi dell' uno, e dell' altro Territorio, e ſe accadeſſe mancare qualche triennio il Provinciale eletto, o ſia per renuncia, o ſia per morte naturale, o civile, ſia obligo del venerabile Difinitorio Generale, che a queſto tocca provedere detta mancanza a eleggere in Rettore Provinciale, che concluda il triennio, o un Religioſo, che ſia del medeſimo Territorio, che era quello, che mancò, e in caſo di non fare detto Difinitorio Generale la ſudetta elezione, in tal caſo ſubentrerà a concludere detto Territorio il Provinciale aſſoluto più immediato del medemo Territorio di dove fù il Provinciale, che mancò, oſſervandoſi in queſto proportionabiliter le noſtre ſacre Leggi, e Coſtituzioni.*

§. 3. *Che gli quattro Definitori di detta Provincia, che in tutti gli Capitoli, ſi elegeranno, cominciando dal futuro Capitolo, debbano eſſere, e ſiano due ſogetti d'Andaluzia, e due della Mancia, e per ſoſtituire detti Officj, quando vacaranno, ſecondo ſtabiliſcono le noſtre Sacre Coſtituzioni debbano eſſere, e ſiano addetti delli due Definitori d'Andaluzia quelli ſoggetti, che del medemo Territorio averanno più voti, & il ſimile ſi debba pratticare delli due Definitori della Mancia, che doveranno ſoſtituirſi quelli, che averanno più voti in quelli del ſuo Territorio, di modo tale che ſempre il Definitorio di queſta Provincia coſti di due ſoggetti d'Andaluzia, e due della Mancia, al qual effetto, ſi ſcriveranno quelli, che tanto dall' una, quanto dall' altra parte averanno più voti. Che gl' altri Officiali di queſta detta Provincia, cioè Priori, Secretario, e Maeſtro di Novizj, ſi debbano dividere, e provedere in modo, che tanti ſiano dell'una, quanti dell' altra parte avendo il Prelato a chi ſecondo le noſtre Coſtituzioni tocca, & appartiene provedere le vacanze di detti Officj obligazione di conferirli, e diſtribuirli alli ſoggetti naturali di quel Territorio, da dove erano gl' Officiali, che mancheranno, acciochè così ſi conſervi l' equilibrio, e diſtribuzione giuſta, & eguale di detti Officj. Che li due Definitori Generali, e li due Diſcreti, che ſi nominano, & eleggono nel Capitolo Provinciale, acciochè concorrano a nome della detta Provincia all' elezione del Vicario Generale*